

tionē, vt adnotationum ipsarum liber, qui piarum meditationum toto anno præbet materiam, & vilius ab omnibus comparari, & facilius circumferri poteret: sed multò magis, vt imaginibus ipsis ex ordine Dominicalium Euangeliorum, in ipsis Euangelicæ historiæ, temporis scilicet vitæ Christi, ordinem transfatis ac dispositis, tota Redemptoris nostri Christi Iesu vita, iuxta veram rerum gestarum ac temporum seriem, elegantibus descripta imaginibus ob oculos haberetur. Opus planè aureum, vt superioribus optatissimum seculis, ita futuris iucundissimum; præfixo præsertim ad operis initium indice, ex quo faciliè perspicere quisque possit, quæ quibus Dominicalibus Euangelij respondeant imagines. Nè autem ipsarum imaginum multitudo satietatem cuiquam pareret, vnde suo sine spiritali scilicet animarum fructu, opus ipsum frustraretur, si in æs incideretur parùm eleganti manu; sed potiùs vt opificij eleganti ac pulchritudo, simul cum maxima ipsius argumenti sanctitate atque excellentia, operisque pietate coniuncta, omnes ad illud euoluendum, assidueque meditatione versandum inuitaret, necessarium omnino fuit, vt excellentissimi quique artifices operi tam eximio, quod ipsius Euangelij noua ac penè spirans imago est, adhiberentur; id quod sine magnis difficultatibus, maximaque impensa perfici nō potuit. Omnes tamen difficultates superatæ, omnia impedimenta, Christo propitio, tuisque auspicijs, Beatissime Pater, sublata sunt; opus denique ipsum ad pietatē, & deuotionem excitandam maximè accommodatum, tuo tandem tempore in vulgus prodit, quod tibi alioqui maximè debebatur, quo cum & in Deum pietas, & in Societatem nostram benignitas pariter creuit: sicut & cum viro grauissimo, eodemque sapientissimo Ioanne Bo. me. Cardinale fratre tuo creuerat; cuius cum vestigia iam antè annos multos in minori fortuna sequereris, atque ego ab hac tua benignitate & pietate inuitatus, nonnulla ex primis operis huius imaginum delineamentis tibi omnium primo ostendissem, eam retuli pro minimo illo officio grati animi significationem, vt & te iam tum cui opus dedicatur dignissimum iudicarem, & id mihi vt facere liceret, non mediocriter optaru. Nunc igitur quando me voti compotem facere dignatur Altissimus, hoc quacumque perpetuè in te nostræ Societatis obseruantia monumētum libenter accipies; quam proinde vt fouere non desinis, ita & commendatam habere perges. Christo Iesu. Vale.

Beatitudinis tuæ

Humillimus seruus.

*Jacobus Ximenez.*